



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1620 usque ad annum 1623

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118855

§. 17. Antonii Maria Galli Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67344](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67344)

Sæc. XVII. A. C. 1620. adversa hilaris, in prosperis modera-
tus, & pro ingenii sui admodum acuti
& lepidi rara felicitate jocos in familiari
colloquio sæpe miscere consuetus, quæ
tamen linguæ libertas tantopere Ba-
ronio displicuit, ut Tuschum mortuo
Leone IX. Pontificiæ dignitatis minus
dignum censeret. Hanc tamen repul-
sam Tuschus incredibili animi magni-
tudine tulit, & continuo summa ala-
critate ad opus suum octo tomis va-
stum, cui titulum *Conclusiones* præfixit,
absolvendum, typisque mandandum
se contulit: tandem vero nominis sui
gloria, meritisque plenus Romæ anno
ætatis suæ octogesimo sexto die vige-
sima sexta Martii naturæ debitum sol-
vit, sepultus in Ecclesia Sancti Petri
in Monte aureo.

Vid. Supra
Lib. 186.
§. 152.

§. XVII.

*Antonii Mariæ Galli Cardinalis
extrema.*

Eiacon in
vita Sixti V.
pag. 165.
Petramell.
in elog.
Turfellin.
in Hist.
Latv.
Ejusdem Mensis diem trigesimam vi-
tæ suæ exitialem itidem Romæ ha-
buit Antonius Maria Gallus, Auximi
in Piceno ex nobili familia ortus. Hic
in Felicis Cardinalis Montalti Palatio
domesticis officiis functus, ab eodem
Purpurato, quamprimum sub nomine
Sixti V. ad Pontificale solium ascendit,
Vati-

Vaticanæ Ecclesiæ Canonicus, Perusinus Episcopus, ac tandem Presbyter Cardinalis renunciatus est: Erat in pauperes admodum beneficus, & in exornandis Templis profusus. Præcipue Lauretanae ædis, cujus Protector erat, faciem magna æris impensa ad fastigium perduxit, atque Auximananam Ecclesiam, quam relicta Perusina Episcopus a Gregorio XIV. nominatus per viginti & amplius annos laudabiliter rexerat, amplissimis donis, privilegiis, ac ornamentis auxit. Postea dimisso etiam hoc Episcopatu Romam concessit, ac parsimonie studiosus, ingentes thesauros conflavit, quin Nepotes suos locupletare studeret, unde ipsum etiam Pinellum Cardinalem, quod suis Nepotibus ad luxum immodice indulgeret, quadam die redarguit, in eo gloriatus, quod econtra suos Nepotes intra frugalitatis terminos vel invites contineat: postquam vero ab eodem Pinello inaudierat, quod unus ex ejus Nepotibus intra breve tempus vigesies millies & ultra æris alieni contraxisset, exin tantam concepit iram, ut ex eo tempore pristinae parsimonie oblitus, pretiosam sibi suppellectilem compararet, dicens, quod deinceps non nepotibus suis, sed sibi vivere velit, ne hi pec-

Sæc. XVII.
A. C. 1620.

Sæc. XVII.
A. C. 1620. candi fomitem haberent: Recte id quidem. sed minus sobrie & prudenter, minusque ipsi Gallo proficue; diutius enim fors vixisset, si parcius, ut antea, cibos sumpfisset. Postquam vero quotidie, ut poscebat corporis moles, plurimis sese ingurgitaverat cibus, cum hos stomachus decoquere non posset, ulcus sensim in purulentum cancrum degenerans ei in pede peperit, eumque, cetera sanum occidit: Ad mortis nuntium nondum sæculi satur, quamvis septuagesimum septimum ætatis suæ annum expleisset, flevisse dicitur: tandem divitias suas, quas valde conspicuas habuit, Nepotibus reliquit, excluso tamen eo, quem æs alienum contraxisse diximus: nec tamen pauperum immemor, tria aureorum millia eis in charitatis subsidium legabat. Sepultus est in Basilica Aræ Cæli: Scripsit etiam summam Historiæ Lauretanæ, orationes nonnullas de B. V. M. præter præclaras leges pro creando Magistratu Lauretano.

§. XVIII.

Joannes Evangelista Pallotta Cardinalis mortuus.

Ciacon. l. c. **T**ertius ex Purpuratis, qui hoc anno ante Pragensem victoriam decesserant